



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis
Ecclesiæ**

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiæ, 1688

Benedictio vini, in festo S. Joann. Evang.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

Benedictio Vini in festo S. Joann. Evang. 269

V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

R. Ut digniefficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Veneranda nobis hujus diei festivitas opem conferat sempiternam, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nixibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Deinde herbæ thurificantur, & aquâ benedictâ aspergantur.

BENEDICTIO VINI,
IN FESTO S. JOANNIS EVANGEL.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

A. p. d.

R. Qui fecit cœlum & terram.

bened: ex qua præmittit
in eadē clavis oratione
em purificans B.V.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

R. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum. &c. pag. 29.

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.

R. Gloria tibi Domine.

L 1 3

In

270 Benedictio Vini infesto S. Joann. Evang.

In illo tempore : Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : & erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem & Jesus & discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino , dicit Mater Jesu ad eum : vinum non habent. Et dicit ei Jesus : quid mihi & tibi est mulier ? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus ministris : quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum , capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus : implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus : haurite nunc & ferte Architriclino : & tulerunt. Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset : ministri autem sciebant , qui hauserant aquam : vocat sponsum Architriclinus , & dicit ei : omnis homo primum bonum vinum ponit , & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem servasti vinum bonum usque huc. Hoc fecit Jesus initium signorum in Cana Galilææ , & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.

R. Laus tibi Christe.

Psalmus. 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super

Benedictio vini in festo S. Joann. Evang. 271

Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.

Deduxit me super semitas iustitiae: propterno-men suum.

Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus : ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus est?

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vita mea.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Gloria Patri & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc. &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Ave Maria.

V. Salvos fac servos tuos, & ancillas tuas.

R. Deus meus sperantes in te.

V. Etsi mortiferum quid biberint.

R. Non eis nocebit.

V. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.

R. Be-

272 Benedictio vini in festo S. Joann. Evang.

R. Beatus homo qui sperat in eo.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus & pater Domini nostri Iesu Christi,
 cuius verbo cœli firmati sunt, cui omnis crea-
 tura deservit: & omnis potestas subjecta est, &
 metuit & expavescit: nos te ad auxilium nostrum
 invocamus; cuius audito nomine serpens con-
 quiescit; draco fugit, & vipera silet: & subdo-
 la illa, quæ dicitur rana inquieta torpescit, scor-
 pius extinguitur: regulus vincitur, araneus nihil
 noxiū operatur: & omnia venenata, & adhuc
 ferociora animalia noxia terrentur: tu extingue
 omnes diaboli fraudes & omnes humano generi
 adversantes nequitias, & hunc potum per in-
 tercessionem beatissimæ Virginis Mariæ, & beati
 Joannis Apostoli tui & Evangelistæ, & omniū San-
 ctorum tuorum meritis & intercessionibus: tua
 virtute bene  dico, ut omnes ex eo gustantes
 ab omni malo custodias: & ad regnum gloriae tuæ
 perducas. Per eundem Dominum nostrum Iesum
 Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat, in
 unita-

Benedictio vini in festo S. Joann. Evang. 273

unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum. Rx. Amen.

Oremus.

Deus cuius potestate beatus Joannes Evangelista potum venenosum & toxicum digesit, bene dicere, & conse⁺ crare digneris hanc creaturam vini : ut omnium ex eo gustantium, expulso omni gusto nocivo : infuso tuæ bene⁺ dictionis mysterio : sit in terris corporis & animæ remissio criminum, & in cœlis perpetua consolatio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum.

Rx. Amen.

V. Dominus vobiscum.

Rx. Et cum spiritu tuo.

V. Benedicamus Domino.

Rx. Deo gratias.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa⁺ tris,
& Fi⁺ lii, & Spiritus⁺ sancti descendat, &
maneat super hanc creaturam vini.

Rx. Amen.

BENEDICTIO TABERNACULI

Pro conservanda sacra Eucharistia.

V. Deus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.

Mm

V. Do-